

pravorum librorum lectio, præsertim dum coram multitudine fiant, excusari a gravi culpa non possunt, quis excusabit a gravi culpa publicam fabulæ repræsentationem, inter Theatri pompas, et apparatus, a gravi peccato? Hæc enim fortiora sunt ad vitia incitamenta.

(7. Sic Actores, cooperatores, spectatoresque gravis culpæ sunt rei. Nam et ii in actionem illam moraliter influunt, quæ natura sua nata est depravare hominum mores, ut manifestum est. Actores voco, qui composuere Comœdiam; cooperatores, qui mimos, ac mimas, saltatoresque dirigant, mercede illos conducant, vel alia præstent ad operam conducentia. Ad spectatores quod attinet, præterquam quod approbant rem illicitam, et solvendo pro audiendis, inspiciendisque Comœdiis pretio, morales illius causæ dicuntur, quia pretii solutione ad operam illicitam exercendam venales mimos movent, periculo etiam peccandi sese exponunt, atque alios exemplo suo in huiusmodi periculum trahunt. Qui vero se libere exponit occasione peccandi, etsi non peccet, gravis culpæ reus est, ex Theologorum omnium sententia (1).

(8. Atque hinc facile patet, quam æqua censura sit sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. qua in Opere de Synod. Dioces., lib. 11. c. 10. ita Auctorem nostrum reprehendit: «De mimis porro laxa ne dicam aperte erronea, et scandalosa est doctrina, quam tradit Lucius Ferraris in sua Bibliotheca Canonica tom. 2. verb. Clericus art. 4. n. 17. edit. 1. ubi etsi fateatur non esse Clericis permittendum comicos agere, seu Comœdiarum actores esse, attamen a gravi culpa eosdem absolvit Comœdias spectantes quantumvis turpes, atque obscœnas, dummodo ex illarum auditione nullum sibi imminere prævideant probabile periculum lapsus, eorumque præsentia nullum in Populum ingerat scandalum.» Verum, ait, si Comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, probabilius est, non esse peccatum mortale, cessante scandalo, quod modo videtur cessare, et non esse, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. *Quis est, qui non intelligat rerum obscœnarum vel solam narrationem pravos animi motus in audientibus excitare, eosque sensim ad interitum disponere, juxta illud Apostoli effatum 1. ad Corinth. 15: «Corrumpunt mores bonos colloquia mala?»* Qua igitur ratione, quo pacto evenire poterit, ut suæ spiritualis ruinæ periculum declinet, qui earumdem turpium rerum theatri interest repræsentationi, quæ plus certe efficacitatis habent ad spectatorum mentes perturbandas, animos commovendum, et tandem ad peccatum inducendum? Quocirca etiam mollioris ethices sectatores ejusmodi Comœdias

(1) Dignum est, quod legatur Opusculum Italico idiomate Romæ in Typographia Palearinorum An. 1734 impressum cui titulus: *Consultatione Teolo-*

damnant, et nedum Clericos, sed laicos quoque eas inspicientes vix umquam gravem culpam evadere, communi calculo docent cum D. Thoma in 4. dist. 16. qu. 3. art. 2. *quæstione. 2.* » Ad secundam quæstionem dicendum, quod huiusmodi spectacula, si sint rerum turpiur, et ad peccatum provocantium, studiosa eorum inspectio peccatum est, et quandoque in eis tanta potest libido adhiberi, ut sit etiam mortale: unde a tali inspectione omnes se arcere debent

(9. Palinodiam Lucius cecinit, ut legere est in Biblioth. Sed tot ibi congerit Probabilistarum auctoritates ad se excusandum, ut suspicari possit, voluisse hac via ostendere, recitatum ab ipso opinionem, Pontificia probabilitatem ac plausibilem esse, præsertim iis, qui ex numero auctorum opiniones metiuntur. Ne vero huiusmodi apparatu lectores decipiantur, observandum hic duximus: 1. Summo Pontifici, dum pronuntiavit laxam hanc opinionem, exploratas jam fuisse probabilistarum sententias, atque etiam has censura perstrinxisse. 2. Turpes et obscœnas Comœdias eas esse, quas Patres supracitati damnarunt, ac opera, pompasque Diaboli dixerunt, quibus Christiani abrenunciaverunt in receptione Baptismi. 3. Plura Concilia non solum antiqua, sed etiam recentia sub excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis penis turpes obscœnasque Comœdias populo interdixisse. 4. Denique rationes num. 6. a nobis allatas satis ostendere, turpes Comœdias naturæ esse lege prohibitas ac graviter peccare tum actores, tum spectatores illarum. Hæc omnia perspecta, atque rite examinata fuere a sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. dum censuram in hanc Probabilistarum opinionem tulit.

Aiunt recensiti a Lucio Probabilistæ, abolitos contraria consuetudine esse Canones, quibus Clerici Comœdiis interesse prohibentur, atque hos ab omni culpa excusari, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. Numquid vero licita usu et consuetudine fieri potest actio naturæ lege prohibita, atque ad ruinam animæ spiritualem contendens? Huiusmodi vero est repræsentatio, atque auditio turpis obscœnæque Comœdiæ, ut supra diximus. Rursus si Clerici spectatores sint, homines scilicet in Dei sortem vocati, sacro Altari addicti, ac illius status, in quo ad altioris virtutis gradum adstringuntur, quis eos a gravi culpa excusabit, dum libere peccandi occasione sese exponant; dum turpem, obscœnamque operam præsentia sua probent, et dum alios exemplo suo ad id alliciant, et provocent? Numquid contraria consuetudine debitum tolli potest, quod ex proprii status obligatione enascitur; ac licita fieri actio, quæ maxime indecens proprio statui sit? Huiusmodi vero sunt turpes, obscœnæque Comœdiæ ad Clericos comparatæ.

Audiant hic benigniores Casuistæ Sancti

gico-Morale se Chi interviene per necessità ai Teat publici vi possa intervenire licitamente, e in qual maniera. (Edit. Barbieri.)

Caroli Borromæi sententiam a tot deinceps Pastoribus in suis Ecclesiis inculcatam. In Concilio 3. Provinciali Mediolanensis Ecclesiæ hæc statuit, quæ legi possunt in Actis ejusdem Eccl. par. 4. pag. 400. «Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravata consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendat... spectacula, ludos, lubricasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur. Demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in Christianum Populum emanare. In quam sententiam valde Populum confirmabit argumentis, quæ viri gravissimi Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, et Chrysostomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela extirpetur. Choreas, saltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet, atque insectabitur. Scenicæ, personatæque actiones, unde tamquam e quodam seminario semina malefactorum ac flagitiorum pene omnium existunt, quam a Christianæ disciplinæ officii abhorrentes, quam valde cum paganorum institutis convenientes atque Diaboli astu inventæ omni officio a Populo Christiano exterminandæ sint, qua maxima poterit religiosa contentione ager. Omnem in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbum ornatum, deformem illam ornandi speciem, muliebres fucos, ac pigmenta, cæteraque ad mollietatem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœde excogitata, omni persuasionum vi, et argumentorum quasi telis oppugnabit. Quæ multa subministrant magni illi Ecclesiæ viri Cyprianus Martyr, Augustinus, et Ambrosius in primis.»

ANIMADVERSIONES AUCTORIS.

(10. In hoc Articulo de Comœdiis a se de novo addito, immerito exaggerat R. Theologus contra ea, quæ a me tradita in prima Editione in verb. *Clericus art. 4.* retractaveram jam in *Supplemento* ad idem verb. in editionibus posterioribus, ubi post adductos Auctores, quos fueram secutus, tandem sub num. 31. ingenue subdidi: sed quidquid de illis, prævio recessu a sequela ipsorum, quod scripsi *loc cit. num. 17. et 18.* expunctum penitus volo. Unde cum ibi clarissime mentem meam aperuerim, et in claris nulla admittatur interpretatio ex communi post Gloss. in. c. *Quum dilectus 8. de consuetudine, verb. nec juri communi*, et colligitur ex l.

COMPENSATIO

SUMMARIUM.

1. Compensatio quid sit. — 2. Compensatio, si debita adsint conditiones, est licita. — 3. Ad hoc, ut Compensatio occulta sit licita, requiruntur plures conditiones. Et prima est, ut debitum sit certum. — 4. Secunda, ut debitum sit strictum, et proprie dictum debitum. — 5. Tertia, ut res non possit alia via recuperari, vel saltem non absque notabili molestia. — 6. Quarta ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius Debitoris. — 7. Quinta, ut fiat

Licet Imperator 74. de legat. 1. et l. Ille, aut ille, 25. de legat. 111. nescio quo animo voluerit falso interpretari mentem meam jam aperte manifestatam, eamque torquere in sensum obliquum, et a veritate aberrantem. Voluisset potius serio perpendere propositionem meam, et invenisset illam, prout a me traditur, restrictam, ac modificatam quatuor illis adjectis conditionibus, non tantopere, ut exaggerati, pugnare cum auctoritatibus, aliisque a se ibi adductis. Præterquam quod debuerat animadvertere criticus Theologus, quod Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex, in sua censura loquitur ut merus Doctor privatus, ut ipsemet testatur in præfatione primi sui tom. de *Synodo Diocesana §. Prima hujus Operis* præcisus his verbis: «At ubi neque a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, neque a Nobis in Bullario, aut alibi Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica auctoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus... libentique animo subscribimus doctrinæ Scriptoris egregii Melchioris Cani, qui lib. 6. de locis theologis, cap. 8. in responsione ad nonum argumentum, de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait: *Cum edunt libros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti expriment, non tamquam Ecclesiæ Judices de Fide pronuntiant.*» Magnus ille Prædecessor noster Innocentius IV. Commentaria sua in Libros Decretalium scripsit, quum summum Pontificatum gereret... Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus Doctor proposuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari, ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius vita, multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt Canonistæ, dum sententias ab Innocentio suis in Commentariis insertas sæpe deserere, et in alia omnia ire non dubitarunt. Hæc ille ad literam, quæ si attendisset Theologus noster, tam acri stylo forsitan non perstrinxisset, quæ tradideram opportunis jam restrictionibus moderata.

(11. Comœdi sunt infames, et irregulares; vid. verb. *Infamis n. 11.* et verb. *Irregularitas art. 1. n. 11.* vers. *Octava.*

(12. Alia de Comœdiis; vid. in verb. *Clericus, art. 4. n. 16.* et verb. *Luxuria n. 87.*

sine periculo scandali, seu sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus hæredes. — 9. Septima, ut in Compensatione non plus accipiatur, quam revera debetur. — 10. Octava, ut fiat sine præjudicio tertii. — 11. Affertur ad id exemplum. — 12. Affertur ad aliud exemplum. — 13. Pro foro externo varia sunt dubia a Jure excepta, in quibus Compensatio non potest fieri etiamsi adsint conditiones requisitæ ad occultam Compensationem, et alia via talia debita obtineri nequeant. — 14. Primo,

Creditor, quoad rem apud se depositam a debitore, non potest in foro externo Compensationem facere. — 15. Secundo, Creditor quoad rem sibi commodatam a debitore non potest in foro externo Compensationem facere. — 16. Licet enim varii hoc negent de Commodato, et concedant solum de deposito, tamen est utrobique par ratio. — 17. Tertio, Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus sui debitoris, quas inique ex furto, rapina, fraude, et spolio occupat. — 18. Quarto, Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus, quas ex causa vectigalis, vel tributi debet Principi, vel Reipublicæ sibi debitorum. — 19. Pro foro tamen interno, seu conscientie supradictorum debitorum exceptio locum non habet, sed licite potest fieri Compensatio occulta etiam in omnibus dictis casibus. — 20. Famuli, et famule domesticæ non possunt occulte heris suis surripere ad compensandum operam suam, quam absque certa, et evidenti cognitione majorem judicant salario, quod recipiunt. — 21. Affertur ratio. — 22. In propositione ad id damnata includuntur non solum famuli, et famule domesticæ, sed etiam omnes illi, qui pro mercede, et salario inique occupant, et compensandum operam suam, quam absque certa, et evidenti cognitione majorem judicant salario, quod recipiunt. — 23. Si vero non solum probabiliter, sed certo, et evidenter constat mercedem, seu stipendium famulis, vel aliis stipendio conductis, ac servantibus personis ex justitia debitum esse minus justo, tunc eis licitum est uti occulta Compensatione. — 24. Sic etiam licita est occulta Compensatio, quando certum est, quod famulus invitus occupatur in aliis, ad quæ non est conductus: nec datur ei stipendium, quod juxta servitii proportionem ab aliis communiter dari solet. — 25. Item licita est occulta Compensatio, quando herus, vel stipendium promissum integre non solvit, vel si solvit in materia inferiori, ex qua famulus damnum patitur. — 26. Item licita est occulta Compensatio, si famu-

(1. Compensatio est debiti, et crediti inter se contributio, *l. Compensatio 1. ff. de Compensationibus lib. 16. tit. 2. et secundum Polman. Breviar. Theol. part. 2. n. 413. Compensatio est rei unius per alteram adequatio, et tantidem refusio, et fit v. g. cum quis tibi debet centum scuta, et illa nequis via ordinaria recuperare ab eodem debitore, in occulto surripis totidem scuta; vel si debitor ejusdem occulte existas, solutionem in æquivalenti non præstes. (2. Et hæc Compensatio, si debita adsint conditiones, est licita; *l. Postquam 21. ff. de compensationibus*. ibi: « Placuit inter omnes, id quod invicem debetur, pro jure compensari; » *l. ideo 3 ff. de compensationibus*. ibi: « Compensatio necessaria est, quia interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. » Compensatio enim ad instar solutionis accipitur, ut constat *ex l. Si debitor, ff. Qui potiores in pignore*, ubi dicitur: « Nihil interesse solveritne aliquis, an compensaverit; » *et ex leg. 76. de verborum significat.* ubi dicitur, *dedisse etiam eum intelligendum esse, qui compensavit*. Et sic tenet Glossa in *cap. Jus gentium 9. dist. 2. verb. Sedium*, Divus Thomas 2. 2. *quest. 16. art. 5. ad tertium*, Abbas in *c. Sicut 29. num. 14 et 15. de Jure jurand.* Silvester *verb. Furtum q. 13. Navarrus in Manual. c. 17. num. 112. Engel. lib. 3. decret. tit. 23. et 16. Reiffenstuel ibid. num. 57. Layman lib. 3. tract. 3. part. 1. capit. 1. num. 9. et communis aliorum; et ratio est, quia Jure naturali, et gentium licitum est**

lus fuerit invitus a Domino coactus dolo, minis, ad serviendum pretio minori infimo justo, vel pretio minori eo, quod communiter dari solet aliis talia servitia præstantibus. — 27. Confessarii satis caute procedere debent cum se occulte compensantibus, et firmiter in praxi tenere, quod nisi evidenter, certo, et indubitanter constet stipendium, seu salariam esse injustum, numquam liceat famulis, aliisque mercede conductis, occulta Compensatio. — 28. Nec in judicando, an stipendium, seu salariam sit evidenter, certo et indubitanter injustum, standum est iudicio famulorum. — 29. Immo, nec quantum ad hoc standum est iudicio cujusvis obvi mediocriter docti Confessarii; sed debet inquiri vir valde doctus, multumque prudens, ac peritus in rebus similibus. — 30. Advertendum enim est, an adsint alii, qui pro tali vili stipendio parati sint tale servitium præstare. — 31. Item advertendum est, an tale servitium sit aliunde compensatum, v. g. per favores, per protectionem, per spem promotionis, et hujusmodi. — 32. Item advertendum est, an famulus se potius ad inserviendum obtulerit, et Dominus sui servitii parum, aut nihil indigerit, et potius in gratiam ejusdem ad servitium receperit. — 33. Item advertendum est, an famulus conductus ab initio contractus cesserit juri suo ad majus stipendium, et se contentum declaraverit stipendio convento. — 34. De Compensatione occulta. *Remissive*. — 35. Compensatio unde profluerit. — 36-37. De effectu Compensationis. — 38. 40. Locum sibi vindicat Compensatio in processu executivo, et post rem judicatam in termino executionis. — 41. Ante omnia autem præsupponitur debitum utrinque liquidum. — 42. Quoad vero sistendum cursum usurarum datur etiam Compensatio cum credito certo. — 43-45. An alius pro alio recte compenset. — 46-48. An cessionario obstet Compensatio, quæ obstat cedenti. — 49. De Compensatione. *Remissive*.

ex rebus debitoris sibi satisfacere, seque indemnem reddere, quando aliter solutionem obtinere quis nequit. (3. Ad hoc autem, ut sit licita Compensatio occulta, requiruntur sequentes conditiones. Prima, ut debitum sit certum, id est, ut moraliter certo constet rem esse tuam, aut tibi ex justitia deberi; *l. 4. de compensat.* In dubio enim melior est conditio possidentis; *Regul. 65. Juris in 6.* (4. Secunda, ut debitum sit strictum, et proprie dictum debitum, id est quod sit res debita ex justitia, et non solum ex convenientia, et gratitudine, nam hæc non inducit stricte, et proprie dictum debitum. (5. Tertia, ut res non possit alia via recuperari, vel saltem non absque notabili molestia, aut expensis, vel amissione favoris, aut benevolentie, sive jactura honoris, ut v. g. si debitum sit quidem certum, et strictum, sed desint probationes; vel si habeantur, sine gravi tamen metu nequeant produci; *l. 13. ff. Quod metus causa*.

(6. Quarta, ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius debitoris, nam si fieret Compensatio in re alterius, tertius ille gravaretur. (7. Quinta, ut fiat sine periculo scandali, seu sine periculo damnificandi tertium, ne videlicet Compensatio alicui imputetur tamquam furtum, et cogatur indebite restituere. (8. Sexta, ut fiat sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus hæredes; ne videlicet ab ipso debitore, vel ejus hæredibus tibi, vel tuis hæredibus idem debitum iterum solvatur; vel ne ipse

debitor, aut sui hæredes putantes necdum esse solutum, maneant in conscientia peccati, nolendo solvere. (9. Septima, ut in Compensatione non plus accipiatur quam revera debetur: alioquin excessus ille esset contra justitiam, et consequenter in conscientia restituendus. (10. Octava, ut fiat sine præjudicio tertii, uti esset, si Compensatio fieret in re alteri v. g. locata, aut commodata; huic enim in tali casu fieret injuria, et præjudicium causaretur, si ante tempus expletum res locata, vel commodata eriperetur. (11. Et sic etiam in casu, quo essent alii creditores, quibus de jure deberetur anterior, vel partialis solutio; tunc enim si Petrus v. g. creditor sciat Paulum debitorem suum non posse solvere omnibus etiam aliis creditoribus habentibus æquale jus, non potest Petrus integrum debitum suum clam subducere Paulo, sed tantum pro rata. (12. Sic etiam in casu, quo tu non possis debitum a Rege obtinere, non potes illud tibi compensare, defraudando v. gr. gabellas venditas, seu locatas v. gr. Petro, quia hoc faceres in præjudicium ipsius Petri, cum compensares tibi non ex bonis Regis, sed ex bonis, quæ licet fuissent Regis, jam nunc ratione venditionis, seu locationis, essent Petri, qui solus, et non Rex damnum ex illa Compensatione sentiret; tum quia licet Petrus conducatur, vel emat jus gabellarum, non ideo obligatio Regis transfertur in Petrum, sicuti ex eo quod conducas, vel emas agrum Pauli, et jus percipiendi fructus ex illo, non ideo obligatio Pauli transfertur in te, ergo non ideo habebis jus compensandi ex gabellis, nisi quando istæ manebunt Regis. Sic Corduba in *Summa q. 95. dub. 3. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 24. num. 383. Jacob. Graffius in decis. aur. p. 1. lib. 2. cap. 125. num. 39. Sporer tract. 5. in septim. et decim. Præc. decal. cap. 5. sect. 3. de occulta compensat. n. 81. Claudius la Croix tom. 1. lib. 1. tract. 5. num. 970. et alii contra varios alios.*

(13. Pro foro externo varia sunt dubia a Jure excepta, in quibus Compensatio non potest fieri, etiamsi adsint conditiones requisitæ ad occultam Compensationem, et alia via talia debita obtineri nequeant. (14. Primo v. g. Creditor quoad rem apud se depositam a debitore, non potest in foro externo Compensationem facere; *cap. Bona fides 2. de deposito*, ibi: « Sane depositori li-

(1) Contendit hic inter cætera Cl. Auctor præscriptum *cap. Bona fides 2. de deposit. et leg. final. C. de Commodato*, ut nempe non fiat Compensatio in re apud se deposita, aut sibi commodata; in solo foro externo locum habere; quæ fuit sententia Lessii, Layman, Navarri, aliorumque. At huic sententie refragatur sanior Theologorum pars edocens laudatas leges obstringere etiam in foro conscientie; ejus rei ratio valde, ut mihi videtur, urget. Etenim agere contra fidelitatem, aut obligationem depositi, vel commodati, est quid illicitum jure naturæ, et in foro Conscientie prohibitum. Sed creditor qui ex re apud se deposita, vel sibi commodata compensaret, ageret contra fidelitatem, et obligationem profectam ex hujusmodi contractibus, uti patet. Ergo, etc. Si quis vero Creditor, dum a Compensatione in re apud

cuit, pro voluntate sua depositum revocare, contra quod Compensationi, vel deductioni locus non fuit; » ubi per *ly deductioni* intelligitur Compensatio ex parte; Glossa *verb. contra quod*, ubi dicit: « Quod nec in toto, nec in parte admittitur Compensatio contra depositum » (1). (15. Secundo Creditor quoad rem sibi commodatam a debitore non potest in foro externo Compensationem facere; *l. fin. C. de Commod.* ibi: « Prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur. » (16. Licet enim varii hoc negent de Commodato, et concedant solum de Deposito, tamen est utrobique par ratio, quia sicuti depositum committitur soli fidei Depositarii, ita Commodatum soli fidei Commodatarii; immo fortius videtur obligare ipsum Commodatarium res commodata, quam Depositarium res deposita, quandoquidem magis obligatur quis pro eo, quod datum est in ipsius gratiam, et commoditatem, quam id quod datum, et acceptum est in alterius gratiam, et commodum. (17. Tertio Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus sui debitoris, quas inique ex furto, rapina, fraude, et spolio occupat; *l. fin. Cod. de compensationibus*. ibi: « Possessionem autem alienam perperam occupantibus Compensatio non datur. » (18. Quarto Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus, quas ex causa vectigalis, vel tributi debet Principi, vel Reipublicæ sibi debitorum; *l. 3. Cod. de compensationibus*. (19. Pro foro tamen interno, seu conscientie supradictorum debitorum exceptio locum non habet, sed licite potest fieri Compensatio occulta etiam in omnibus dictis casibus. Et ratio est, quia de Jure naturæ, et gentium potest quilibet Creditor sibi de qualibet re debitoris satisfacere, quando aliter vel non nisi cum maxima difficultate, et summo incommodo potest satisfieri, adeoque in ipsis casibus non obstantibus Juribus positivis poterit Creditor etiam in Deposito, in Commodato, in Vectigalibus, et tributis, et in rebus alienis inique per rapinam, fraudem, et hujusmodi occupatis facere Compensationem. Non enim est credendum, quod in similibus casibus Jura positiva voluerint Creditores suo Jure privare in ordine ad consequenda sua credita, quia hoc esset eisdem noxium, et commodum inferret debitoribus, ne tenerentur satisfacere. *Sic communis Doctorum* (2).

se deposita, aut sibi commodata prohibetur, velit sibi consulere retinendo rem depositam, vel sibi commodatam, donec quod sibi liquido debetur, consequatur, juxta *leg. Si non sortem 26. § si centum de Condition. indebitis*, ita agendo peccare pronuntiare non ausim. (*Edit. Neap.*)

(2) Falsum est, in rebus alienis inique per rapinam, et furtum occupatis fieri Compensationem posse in foro Conscientie. Nam hæc debitoris non sunt, easque proprio domino restituere tenetur; ideoque ex re aliena compensaretur, quæ clamat ad dominum suum; ut dicitur, ubi de furto disputatur. Iniqua ergo hæc Compensatio erit, et obligationem secum ferre debet restituendi illam proprio domino. Falsum quoque est in foro Conscientie rem Debitoris depositam apud se, vel sibi commodatam

(20. Circa Compensationem, quam solent facere famuli, et famulae surripiendo occulte de bonis dominorum, ex quo judicent mercedem, seu salarium eorum non correspondere suo famulatu, et esse minus justo, absolute tenendum est, esse omnino illicitam, si famuli, vel famulae absque certa et evidenti cognitione simile iudicium ferunt ex fundamento, sive apparenter, sive vere probabili tantum; hoc habetur clare et expresse ex contraria doctrina damnata ab Innocentio XI sub die 2. Martii 1679. in sequenti propositione ordine 37. ex ibi damnatis: « Famuli, et famulae domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. » (21. Et ratio est, quia ex dictis sub num. 3. prima conditio requisita ad licitam occultam Compensationem est, ut debitum sit certum; ergo non sufficit debitum solum probabile. In dubio enim, vel pari causa melior est conditio possidentis; Regula 65. Juris in 6. Unde cum Dominus sit in possessione suorum honorum, iis a famulo, seu famula ob probabilem solum rationem privari nequit, quia possessio legitima tribuit Jus certum retinendi, quo spoliari ob rationes solummodo probabiles nemo potest; arg. cap. Dilecto 23. §. fin. de V. S. l. Peregre 44. ff. de acquirend. posses. (22. In damnatione supradictæ propositionis includuntur non solum famuli, et famulae, sed etiam omnes illi, qui pro mercede, et salario operas, et servitium præstant, ut sunt opifices, seu artifices, Administratores, Consilarii, Judices, Ministri, Secretarii, Belli duces, et hujusmodi; his enim omnibus est etiam illicita occulta Compensatio, nisi adsint omnes conditiones requisitæ ad justam et licitam Compensationem, et adductæ supra a n. 3. usque ad 12. Ita Cardenas in propositiones damnatas dissert. 23. cap. 1. artic. 3. ubi dicit, quod cum eadem sit ratio de istis ac de illis, consequenter idem debet esse iudicium, et eadem juris dispositio; arg. l. Illud, ff. Ad leg. Aquil. (23. Si vero non solum probabiliter, sed certo et evidenter constet, mercedem, seu stipendium famulis, vel aliis stipendio conductis, ac servantibus personis ex justitia debitum esse minus justo, tunc licitum est famulis, aliisque stipendio conductis uti occulta Compensatione, quia in simili casu famuli, aliique stipendio conducti accipiunt solum, quod suum est, vel saltem, quod eis certo debetur, nec alia via eis suppetit ad suum repe-

accipere licere. « Ratio est, quia fieret contra fidei litatem, et obligationem depositi, vel commodati, quod maximam fidem postulat, et contra conventionem saltem tacitam restituendi rem domino; » ut animadvertit Antoine in Tractat. de justitia, et jure Cap. 5. quæst. 9. num. 5. qui conditionibus cæteris, quas ad occultam Compensationem, ut licita sit, Theologi requirunt, enumeratis, subdit: « Cum... rarissime omnes istæ conditiones concurrant, rarissime licita esse potest Compensatio occulta. » (Nota Romani Theologi.)

Nota Casinensis.

Veluti probabiliorum, communiorum et multo ve-

tendum, nisi cum maximis incommodis, et periculis; ut videtur ordinarie evenire, quando famuli pro sua justa mercede obtinenda cum Dominis in iudicio contendunt. Sic tenet Cardenas in propositiones damnatas dissert. 23 c. 1. art. 1. num. 38. Navarrus Manual. cap. 17. num. 172. Molina disp. 506. num. 5. Lacroix loc. cit. n. 971. et communis aliorum; arg. l. 6. ff. de Compensationibus.

(24. Sic etiam quando certum est, quod famulus invitus occupatur in aliis, ad quæ non est conductus, nec datur ei stipendium, quod juxta servitii proportionem ab aliis communiter dari solet, tunc licita est occulta Compensatio. (1). (25. Item licita est occulta Compensatio, quando herus vel stipendium promissum integre non solvit, vel si solvit, solvit in materia inferiori, et qua famulus non indiget, et cogitur eam vendere minori pretio, quam sit stipendium conventum. (26. Item licita est occulta Compensatio, si famulus fuerit invitus a Domino coactus, dolo, minis, etc. ad serviendum minori pretio infimo justo, vel minori pretio eo, quod communi dari solet aliis talia servitia præstantibus: in his igitur solum casibus, et totaliter consimilibus licita est occulta Compensatio. Cardenas l. c. Lessius lib. 2. cap. 12. num. 83. Molina disp. 506. Navarr. in Manual. d. cap. 17. et communis aliorum. (27. Unde Confessarius satis caute procedere debet cum se occulte compensantibus, et firmiter in praxi tenere, quod nisi evidenter, certo et indubitanter constet stipendium, seu salarium esse injustum, numquam liceat famulis, aliisque mercede conductis, occulta Compensatio. (28. Nec in iudicando, an stipendium, seu salarium sit evidenter, certo, et indubitanter injustum, standum est iudicio ipsorum famulorum, cum isti in causa propria facile decipiantur; amor enim proprius facit sæpe credi evidens, quod dubium, aut vix probabile est. (29. Immo nec quantum ad hoc standum est iudicio cujusvis obvii mediocriter docti Confessarii, sed debet inquiri vir valde doctus, multumque prudens ac peritus in rebus similibus, ut omnibus pensatis iudicet, an certum, et evidens sit, quod tale stipendium sit injustum, et sic licita sit occulta Compensatio. Difficillimum enim est iudicare, quodnam sit stipendium, seu salarium certo, et evidenter injustum, ob varias circumstantias temporum et personarum, et consuetudines locorum, quæ possunt Compensationem illam occultam reddere illicitam. (30. Advertendum enim est, an adsint

riorem sententiam amplectimur illam, quæ habet, in deposito compensationi, in conscientie foro, dari locum. Primo quia frangenti fidem, uti fert effectum, non est servanda fides. Secundo quia nulla lege id est vetitum. Sed qui plura hac de re videre cupit, adeat Lugo. disp. 16. Less. Salmat. Tr. XIII. de Rest. n. 505.

(1) Nisi pactum intercesserit de minori mercede; nam posito hoc pacto, majus stipendium non debetur ut num. 35. exprimitur. Confer Antoine loc. cit. resp. 1. (Nota Rom. Theologi.)

alii, qui pro tali vili pretio, seu stipendio parati sint tale servitium præstare? (31. Item advertendum est, an tale servitium sit aliunde compensatum v. gr. per favores, per protectionem, per spem promotionis, et hujusmodi. (32. Item advertendum est, an famulus se potius ad inserviendum obtulerit, et Dominus suo servitio parum, aut nihil indigerit, et potius in gratiam ejusdem ad servitium receperit. (33. Item advertendum est, an famulus conductus ab initio contractus cesserit Juri suo ad majus stipendium, et se contentum declaraverit stipendio convento; quia in his omnibus, et consimilibus casibus stipendium adhuc esset justum, quamvis solito minus, ut communiter fatentur Doctores.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Compensatione occulta, de qua hic potissimum agit Auctor, meum non est disserere. Consule tamen pro re nata Zamoran. de Compensat. ad utrumq. for. pertinent.

(33. Compensatio profluit ex naturali æquitate primum; deinde et civili ratione. In hoc naturalis æquitas consistit, quod nostra interest potius non solvere, quam solum repetere, et dolo agit, qui quod est restitutus petit. Civilis ratio in eo versatur, quod lites imminui Reipublicæ interest. Maestert. De Compens. quæst. 1. n. 1 et 2.

(36. Effectum Compensatio habet solutionis. (37. L. 4. C. de Compensat. Quocirca non tantum prior obligatio, sed et omnia ejus accessoria censetur sublata. Stryck. in usu modern. Pandect. lib. 16. tit. 2. §. 2. (38. Locumque ex hac ipsa ratione sibi vindicat Compensatio in processu executivo, tum etiam post rem judicatam in termino executionis. Stryck. in usu modern. Pandect. lib. 16. tit. 2. §. 11. (39. Quinimmo pinguior Compensatio in eo est solutione, quod pupillo solvi nequit sine decreto magistratus; §. ultim. institut. quib. alien. licet, vel non licet;

COMPETENTIA PASTORALIS

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. 2. Competentia Pastoralis quid sit, et unde originem habeat. — 3. Qualis esse debeat. — 4. Determinatio hujus Competentiæ ut arbitrio iudicis fiat, necesse est. — 5. Quanam iudex in hac determinatione attendere debeat. — 6. Hujusmodi assignatio de jure favorabilis dicenda est. — 7. Unde iudex debet potius inclinare ad Partem Congruam Vicariorum. — 8. Hæc assignatio est causa alimentorum. — 9. Quanam modus procedendi in hac causa servandus sit. — 10. Quomodo adjudicetur Competentia Pastoralis, si contingat in ejus assignatione oriri aliquam difficultatem. — 11. Competentia Pastoralis an tolli possit transactione vel conventione. — 12. 13. An talis conventio sive transactio successoribus præjudicare possit. — 14. Competentia Pastoralis nec compensatione elidi potest. — 15. Onus assignandi Competentiam decimis inhæret et reale est. — 16. Clausula in unionibus Ecclesiarum Parochialium cum decimis adjecta. — 17. Competentia

(1. Cum circa sæculum X contigerit, ut quibusdam in locis Ecclesiæ Parochiales

(40. potest tamen opponi Compensatio. L. 1. §. 4. ff. De Compensat. L. 3. C. eod. L. 23. C. de contr. tutel. action.

(41. In primis autem, et ante omnia præsupponitur debitum utrinque liquidum. (42. Nota vero, quod ad sistendum cursum usurarum datur etiam Compensatio cum credito certo, sed non liquidato in principio, sed ex intervallo. Rota in Romana Cambii 1. Martii 1728. cor. clar. mem. Calcagnin.

(43. Alius pro alio non recte compensat. L. 18. §. 1. ff. de Compensat. (44. Limita tamen, si Tertii intersit Compensationem talem ex debito ejus fieri. (45. Quo fit, ut fidejussor opponere valeat Compensationem ejus, quod debitori debet creditor, etiamsi vel maxime debitor non amplius solvendo sit, et concursus jam excitatus fuerit. Vide et alia exempla apud Stryck. in usu modern. Pandect. l. 16. tit. 2. n. 5.

(46. An cessionario obstat Compensatio, quæ obstat cedenti, non est una omnium sententia. Distinguitur communiter, utrum cessio facta sit ex causa onerosa, an ex causa lucrativa; et an cessionarius agat tamquam Procurator in rem suam ex jure cedentis, an vero jure proprio, ita ut cessionario, qui ex causa onerosa Jus creditoris sibi acquisivit, et actione utili agit, Compensatio objici non possit. (47. At Compensationem indistincte objici cessionario posse, tenent Franzk. lib. 1. resolut. 13. ser. per tot. Guid. Pap. decis. 567. Thesaur. decis. 221. Afflict. decis. 84. num. 4. et sequent. (48. Hoc vero certum, si post factam cessionem cedens debere incipiat debitori cesso, Compensationi locum non esse, modo debitori cesso facta fuerit cessionis notificatio. Franzk. l. 1. dict. resolut. 13. n. 41. et seq.

(49. De Compensatione vide qui breviter, sed dilucide de ea agit, Maestert. de compensat.

debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum requiruntur. — 18. Quando Competentia æstimanda sit sufficiens ex mente Synodi Tridentinæ. — 19. Hinc Parochus petere potest augmentum, si Competentia sufficiens non sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis adjungere debet. — 20. Ad quid teneatur Parochus postulans Competentiæ augmentum. — 21-28. Quomodo providendum sit Ecclesiis Parochialibus, si nequeat sufficienter provideri per Beneficiorum simplicium unionem. — 29. Diocesanis districtè inhibetur, ne presentatum aliquem ad Ecclesiam aliquam admittant, nisi intra certum terminum ipsi presentato fuerit coram eis Congrua de proventibus Ecclesiæ Portio assignata. — 30. Episcopi est, omni modo allaborare, ut Competentia assignetur, non tantum ipso Parocho, sed etiam tot Presbyteris, quot necessarii sunt, ut Parochia necessitati decenter satisfiat. — 31. Immo ad Competentiam agere possunt et ipsi Parochiani.

Canonicorum et Monachorum Collegiis incorporarentur, et Canonici ipsi ac Monachi